





DISPUTATIO JURIDICA,

47019.

De

XXXXI

USUCAPIO-
NIBUS, ET LONGI
TEMPORIS PRÆSCRI-
PTIONIBUS,

Quam,

1629.8.

Auspice CHRISTO,

Præside,

Clarissimo & Consultissimo

D.N SIGISMUNDO *Glath*/ J. U. D. FLO-
RENTISSIMÆ ARGENTORATENSIVM UNI-
VERSITATIS PROFESSORE ORDINARIO, ET P. T.
Facultatis Juridicæ Decano dignissimo : Præceptore &
Fautore suo ad dies vitæ co-
lendo :

*Publico Examine subiiciet in Auditorio
Jurisconsultorum :*

Ad diem Martii,

JOHANNES JACOBUS KAMM
Argentinensis.

ARGENTORATI.

Typis WILHELMI CHRISTIANI GLASERI
A ademiæ Typographi.

ANNO M. DC. XXIX.

23





VIRIS

ADMODUM REVERENDIS,
CLARISSIMIS ET DOCTISSIMIS,

DN. M. GEORGIO HUBIO { Templi
DN. M. CLEMENTI BRECHTIO { Divi Ni-
colai An-
tistitibus vigilantissimis :

DNN. Fautoribus suis summoperè
colendis :

Hoc Exercitium Academicum

D. C. O.

JOHANNES JACOBUS KAMM
Author & Respondens.





DISPUTATIO JURIDICA

*De Usucapionibus & Longi Temporis
Præscriptionibus.*

In Nomine Domini Nostri
JHESU CHRISTI.



UM Imperator Justinianus modis acquiren-
di ex Jure Civili annumeret quoq; *Usucapionem &*
longi temporis præscriptionem, in §. ult. *Inst. de usu &*
habit. pr. Inst. h. t. de iis in præsentiarum non pro ma-
terix dignitate & excellentia; sed ingenii tenuitate
publici exercitii gratiã proponere aliquid placet.

THESIS PRIMA.

Usucapionis vocabulum rectè ab usu & capione dictum esse
statuunt *Wesemb. in n. 2. h. t. Schneid. in Comment. Inst. n. 5. h. t. &*
alii. ubi per vocabulum Usus, intelligi potest possessio. l. 115. ff. de V.
S. l. 20. 30. ff. Ex quib. caus. major. Capere verò idem est, atq; acqui-
tere dominium. l. 3. ff. h. t. Colleg. Jurid. Argent. lib. 41. tit. 3. thes. 1.

*Ety-mo-
logia.*

II.

Præscriptio dicitur à præscribendo: & frequenter in Jure no-
stro usurpatur pro Exceptione, tam peremptoriã, quàm dilatoriã, ut
in rubr. C. de except. & præscript. l. 50. §. 1. 2. l. 51. §. ult. ff. de jud. vid.

A

23

C. J. A. lib. 44. tit. 1. th. 33. eâ præcipuè, quæ ex lapsu certi temporis oritur. l. 1. ff. de div. temp. præscript. & tit. C. de præscript. 30. ann. Hic accipitur pro longi temporis possessione & acquisitione, sive pro acquisitione domini per longum tempus: quo sensu hoc vocabulo utitur Imperator in rubr. Inst. h. t. & §. 5. Inst. per quas personas cuiq; atq; & Doctores ferè communiter. Dicitur autem præscriptio, quasi temporis præfinitio. Legibus enim præfinitum est tempus, intra quod fieri debet repetitio rei à domino, sub pœna amissionis. Schneid. Instit. h. t. n. 6.

III.

Homonymia.

Usucapionis vocabulum est *πολύσημον*. Gebhard. tract. de usucap. cap. 1. §. 1. n. 7. plerunq; tamen rebus mobilibus ferè attribuitur. rub. §. 7. Instit. h. t. & passim. Non rarò tamen rerum quoq; immobilium acquisitionem comprehendit. pr. §. 1. 2. Inst. h. t. l. 21. 33. §. 2. & pass. ff. eod.

IV.

Præscriptio verò in rebus immobilibus & juribus potissimum locum habet. Schneid. h. t. n. 9. quamvis etiam eam ad res mobiles nonnunquam referri legamus. l. 9. ff. de div. temp. præscript. quò fac. l. 1. C. de serv. fug. l. 2. C. de quib. caus. cess. longi temp. præscript. vid. Schneid. d. loco. & C. J. A. d. tit. th. 1.

V.

Definitio. Usucapio (in latiori significato. sup. th. 3. in fin.) est Adjectio (sive adeptio. Ulp. in frag. tit. 19. §. 7.) domini, per continuationem possessionis, temporis lege definiti. l. 3. ff. h. t.

VI.

Divisio. Dividi potest usucapio, (I) ratione objecti, in usucapionem rerum mobilium & immobilium. §. 1. Instit. h. t. l. 33. §. 2. & 3. l. 37. 38. 39. ff. h. t. l. unic. C. de usucap. transform. (II) ratione formæ in usucapionem biennii, decennii, vicennii. d. pr. Instit. h. t. plures divisiones vid. apud Schneid. Instit. h. t. quæ tamen magis ad præscriptiones temporales, quam usucapionem pertinent.

Causa

Causa efficiens usucapionis, remota est Lex XII. Tabularum (quam Justinianus in *pr. Instit. h. t.* Jus Civile appellat.) variis postmodum Legibus & Principum Constitutionibus illustrata ac emendata. *tit. C. de Usucap. transform. t. t. C. de long. temp. prescript. Wesenb. in c. n. 9. h. t.* quæ Usucapionem propter has potissimum causas introduxit, quod publicè interfit, ne rerum dominia semper essent in incerto. *l. 1. ff. h. t. pr. Inst. h. t.* deinde, ut inferret pœnam negligentiae dominorum, qui in res suas non diligentius tanto temporis spatio inquirunt; sed eas tam diu ab aliis possideri & usucapi patiuntur *l. 2. pr. l. ult. in fin. C. de Annal. Except. Schneid. Inst. n. 11. h. t.* & tandem ut litium aliquis finis esset. *l. ult. ff. pro suo.*

VIII.

Illorum igitur hîc venit repudianda sententia, qui sine ullâ firmæ legis auctoritate, usucapionis beneficium juri naturali, justitiæ, omniq; æquitati contrarium esse statuunt.

IX.

Hîc non incommodè etiam illa quæstio ventilari potest. An Usucapio Jure Divino quoq; ratione quadam sit approbata? *Aff. Levit. cap. 25. v. 29. & 30. Philip. Melancht. in lib. 2. Eth. in quæst. an prescript. acq. dom.*

X.

Causa efficiens proxima ex parte domini cujus res usucapitur, est negligentia. *l. 1. ff. h. t. sup. th. 7.* vel potius tacita ejus voluntas rem suam alienandi. Vix enim est, ut non videatur alienare, qui patitur usucapi; inquit Paulus in *l. 28. ff. de V. S.*

XI.

Ex parte usucapiantis; tum illi, qui usucapiendi conditionem tribuunt, licet malam fidem habeant: tum verò & præcipuè justa possessio eorum, qui res bona fide accipiunt, & retinent, atq; sic usucapionem perficiunt. *l. 5. pr. & ibi Glos. ff. de dam. infect. l. 74. in fin. ff. de contrah. empt. C. J. A. th. 5. h. t.*

XII.

Porro cum usucapere sit rem per usum ac possessionem acquirere. *l. 3. l. 25. ff. h. t.* omnibus usucapiendi facultas concessa est, qui rerum dominium acquirere, easq; possidere possunt.

XIII.

Dominium autem acquirere Jure Civili, nullis concessum est, quam iis, qui jus civitatis Romanæ habent, quod omnes, qui Imperio Romano subjecti sunt, hodiè ex Constitutione Divi Antonini habere non incertum est. *l. 17. ff. de stat. hom.*

XIV.

Jure igitur Civili usucapiendi, & per usucapionem dominium sibi acquirendi facultas concessa est, Patribus familias. *l. 4. §. 1. ff. h. t.* Itemq; filiis familias in peculis castrensibus vel quasi castrensibus: & adventitio, non eo tantum, in quo plenum habent proprietatem; sed etiam in eo, cujus ususfructus apud patrem est; nam & hujus dominium & possessionem habent, etiam si ususfructus penes patrem existat. *l. 6. pr. l. ult. §. ult. in fin. C. de bon. quæ lib. l. 4. §. 1. ubi Cujac. ff. h. t. Vult. ad pr. Inst. n. 12. & 13. h. t. C. J. A. lib. 41. tit. 2. th. 8. n. 5.*

XV.

In iis autem quæ ad peculium profectitium pertinent, (quod etiam referenda esse puto, quæ filius familias ex pecunia peculiari, quamvis suo nomine emit, *fac. l. 1. §. 5. ff. de acq. poss. l. 44. §. 3. ff. h. t. l. 6. 8. pr. l. 12. in fin. C. de bon. quæ lib. §. 1. vers. sancimus. Instit. per quas person. cuiq; acq.*) filius fam. patri etiam ignoranti possessionem & usucapionem acquirit. *d. l. 1. §. 5. l. 4. 24. l. 34. §. 2. l. 44. §. 1. ff. de acq. poss. l. 31. §. 3. l. 47. ff. h. t.* Hinc Q. Si filius familias rem alienam extra causam peculii profectitii, nomine patris sui accipiat, an patri ignoranti jus possessionem & usucapionem acquirat? Quod quamvis de possessione concedi possit, per ea quæ traduntur in *C. J. A. lib. 41. tit. 2. thes. 15. n. 16. de usucapione negandum puto. per l. 1. C. de acquir. poss. d. l. 47. l. 44. §. 7. ff. h. t. l. 2. §. 11. ff. pro empt. l. 49. §. 2. ff. de acq. poss. vid. etiam Gilken. de Usucap. & prescript. part. 3. c. 3. n. 329. & seqq.*

Pupillus

XVI.

Pupillus quoq; rem, autoritate tutoris possessam usucapere potest. l. 4. §. 2. ff. h. t. quod de infante etiam intelligendum esse communi calculo probatur, quò fac. l. 32. §. 1. ff. de acq. poss. l. 3. C. eod. vid. Gilken. d. part. 3. c. 1. n. 3. & seqq. quam sententiam etiam probat. Cuj. ad d. l. 4. §. 2. Pupillus autem major infante potest usucapere etiam eam rem, cuius possessionem sine tutoris autoritate nactus est. d. l. 4. §. 2. fac. d. l. 32. §. 1. ff. de acq. poss. Cujac. ad l. 49. ff. de acq. hered. in tract. 4. ad African. & in l. 5. ff. de R. J. Gothof. ad d. l. 4. C. J. A. hic. th. 7. Gilken. d. c. 1. n. 22.

XVII.

Similiter furiosus, rem quam ante furorem possidere cœpit, furore postea superveniente, usucapiendi conditionem, utilitate sic suadente implere potest; ne scilicet languor animi, damnum etiam in bonis adferat. l. 4. §. 3. l. 44. §. 6. ff. h. t.

XVIII.

Prohibentur autem usucapionem inchoare, Furiosi in furore constituti: quia nullam habent neque acquirendi, neq; possidendi affectionem. arg. l. 5. ff. R. J. quæ tamen ad usucapionem requiritur. fac. l. 1. C. de acq. poss. l. 49. §. 2. ff. eod. l. 4. §. 47. ff. h. t.

XIX.

Hic quæritur: Utrum furiosus saltem curatore authore usucapere possit? Negativa verior videtur, quam probant Cujac. loc. sup. thes. 15. citat. Cisnerus ad l. 4. n. 6. ff. h. t. Gilken. d. part. 3. c. 2. n. 35. Ut igitur curator possit furioso usucapionem quærere, ipse potius proprio nomine rem à tradente accipiat, atq; possideat; & hoc modo à se usucaptam postea furioso restituat. fac. l. ult. §. 7. 8. 9. C. de cur. fur. Gilken. d. l. C. J. A. lib. 26. tit. 7. th. 38. n. 3.

XX.

De prodigo, cui à magistratu bonis interdictum est, dubium videri possit: cum frequenter, aliquando furioso, ut l. 1. ff. de cur. fur. l. 12. circa fin. ff. de iur. & cur. dat. l. 28. §. 1. ff. de pact. l. 48. ff. de R. J. & nonnunquam pupillo, ut l. 9. §. 7. ff. de Reb. Cred. comparetur; an posses-

622

23

possessionem acquirere, & per eam usucapere possit? Affirm. puto.
*fac. l. 6. & ibi Cujac. ff. de V. O. l. 5. §. 1. ff. de acq. her. l. 9. §. 7. ff. de Reb.
cred. l. 18. §. 3. ff. de Castr. pecul.*

XXI.

Item peregrini usucapere non possunt, sive Romano Imperio non subjecti; quia, ut supra dictum est, usucapio est Juris Civilis. §. ult. *Inst. de usu & hab. pr. Inst. de usucap.* peregrinis autem ea, quæ Juris Civilis propria sunt, non competunt. *vid. Vasq. Illustr. controv. lib. 2. c. 1. (50.).*

XXII.

His numerantur ii, qui quidem cives Romani fuerunt, sed propter delictum aliquod commissum, ἀποβλιδες facti sunt: quales sunt deportati, damnati in metallum, aut in opus publicum. *arg. l. 1. §. 2. ff. de leg. 3. l. 17. §. ult. ff. de pœn. l. 1. C. eod. l. penult. §. ult. ff. de variis & extraord. cognit. §. 1. Inst. & l. final. ff. de cap. minut. vel ad triremes aut perpetuos carceres, ex sententia DD. vid. Gilken. part. 3. c. 6. num. 75.*

XXIII.

Quæri hîc potest: Utrum Banniti, sive Proscripti Imperii usucapere quoq; non possint? Quod Affirm. cum Bannum Imperii pœnâ deportationis multò gravius sit. *vid. Gail. lib. 2. de P. P. c. 1. n. 19. & seqq. Gilken. d. c. 6. n. 8. & seqq. Gebhard. d. tract. c. 1. §. 2. n. 3. & 4.* Anne verò idem in proscriptis à Principe vel alio statu Imperii Romani statuendum? Olim quidem deportati à quovis magistratu, qui jus deportandi habebat, jura civitatis amittebant in toto Imperio Romano. *fac. l. 17. ff. de pœn. tit. ff. de interd. & releg. & pass.* Hodiè verò mutato ex parte antiquo Imperii statu, proscriptione factam à Principe vel Civitate, ultra ejus territorium non extendi, nec ea, quæ Juris Civilis communis sunt (& proindè nec usucapiendi facultatem) adimere, *trad. Gail. de P. P. d. lib. 1. c. 6. n. 13. 14. Goedd. de contrah. stip. c. 7. concl. 4. n. 35. Gilken. d. c. 6. n. 17. & seqq.*

XXIV.

Nec obsides, *fac. l. 11. ff. qui test. fac. poss. l. 31. 32. ff. de jure fisci.*
nec.

625
nec ab hostibus capti usucapere possunt : cum nec cœptam usucapionem durante captivitate impleant : nec reversi ab hostibus jure postliminii eam recipiant. *l. 15. l. 44. § 7. ff. h. t. l. 23. ff. Ex quib. caus. major.*

X X V.

Per servos tamen suos, & filiosfam. ex causa peculii acquirentes, vel possidentes, non tantùm usucapionem ante captivitatem cœptam, sed etiam postea inchoatam perficere possunt. *d. l. 15. d. l. 44. §. 7. ff. h. t. l. 23. §. 3. ff. Ex quib. caus. maj. l. 12. §. 2. ff. de capt. & postlim. rev.*

X X V I.

His personis annumerantur quoque à Doctoribus Monachi Franciscani, & religiosi bonorum incapaces; qui in votum paupertatis juraverunt, & nihil proprii possidere possunt. *C. unic. de relig. dom. in 6. Gebhard. d. tract. cap. 1. §. 2. n. 36.*

X X V I I.

Usucapionis & Præscriptionis materia, sunt omnes res, quæ ^{Materia.} in commercio hominum sunt, & per traditionem, præcedente titulo habili, dominio nostro subiici possunt, nec à lege quadam alienari prohibentur. *Schneid. in Comment. ad Inst. h. t. de specieb. usucap. n. 57.*

X X V I I I.

Nec refert, si res sint corporales, si incorporales, si immobiles si mobile. *pr. Inst. h. t. l. unic. C. de usuc. transf. Incorporales verò, quamvis usucapi posse propriè nō videantur. l. 14. ff. de servit. l. 44. §. 5. ff. h. t. l. 9. 10. §. 2. ff. h. t. quia tamen quasi possideri possunt. l. ult. ff. de servit. l. 20. in pr. ff. de S. P. II. idè etiam videntur quasi usucapi posse, ad exemplum rerum corporalium. l. 4. §. ult. h. t. l. ult. in fine. C. de long. temp. præscript. l. 2. l. ult. C. de servit. & aqua. l. 16. C. de de Usufr. C. J. A. d. lib. 41. tit. 3. th. 10. & lib. 8. tit. 1. th. 34. & seqq. Wes. ff. tit. de servit. n. 5.*

X X I X.

Q. Utrum distinctio Doctorum inter servitutes continuas & discontinuas, in materia præscriptionum sit attendenda : an verò hæc quæ, ac illæ usucapi sive longo tempore acquiri possint? *Post. Aff. C. J. A. dd. loc. Wesenb. cit. loco. Gilken. d. tr. part. 2. memb. 1. c. 10. n. 12. & seqq.*

23

XXX.

Quæ verò res non sunt in commercio, hoc est, quæ usibus hominum, dominioq; subici, in obligationem deduci, alienariq; & acquiri non possunt. *l. 39. §. ult. ff. de leg. 1. l. 6. ff. de contrah. empt. l. 1. §. 1. 2. ff. quæ res pig. l. ult. ff. de act. empt. eæ neq; usucapi possunt: veluti res sacræ. §. 8. Inst. de R. D. sacræ & religiosæ. l. 9. ff. h. t. §. 1. Inst. eod. hæ enim nullius in bonis sunt. §. 7. Inst. de R. D. & à nullo possideri possunt. l. 30. §. 1. ff. de acq. poss.*

XXXI.

Aliæ verò res Ecclesiasticæ, aut aliorum locorum venerabilium quæ non sunt Deo consecratæ, nec ad cultum Divinum principaliter destinatæ, triennio usucapi possunt, si mobiles sint. *Auth. quas actiones. C. de SS. Eccles. N. III. c. 1. & Gloss. ad. dd. loc.* In rebus immobilibus verò loco præscriptionis 10. vel 20. annorum, 40. annorum præscriptio constituta est. *d. Auth. quas actiones. C. de SS. Eccles. N. 131. c. 6.* An verò inde rectè excipiat Ecclesia Romana, & sola præscriptio 100. annorum adversus eam locum habere statuatur, dubitari solet? Neg. sequor: quam probant. *Cujac. lib. 5. observ. c. 5. Rittershus. in Exposit. Novell. part. II. c. 1. n. 18. & in Different. Jur. Civ. & Canon. lib. 4. c. 14.*

XXXII.

Quod dictum est de rebus Sacris &c. locum habet etiam in libero homine. *d. l. 9. l. 6. C. de ingen. manumis. l. 21. C. de evict. l. 23. ff. de acq. poss. & hoc aded verum est, ut neq; longissimi temporis, nec centum annorum curriculo libertati præscribatur. dd. ll. l. 13. C. de long. temp. præscript.*

XXXIII.

Ut & in rebus publicis, seu Populi Romani. *d. l. 9. l. 6. C. de oper. publ.* quibus etiam hic annumerare licet res civitatum & municipiorum, quæ in omnium civium usu publico sunt, & res Universitatis dicuntur. *in §. 6. Inst. de R. D. l. 6. §. 1. ff. eod. atq; extra commercium sunt. fac. l. 6. pr. l. 22. ff. de contrah. empt. veluti armamentaria, æraria, balnea publica, portus, theatra, stadia, & his similia. §. 4. Inst. de leg. §. ult. Inst. de empt. & vendit. §. 2. Inst. de inutil. stipul. l. 2. & 3. ff. ne quid in loco publ. l. 1. ff. de itin. publ. C. J. A. lib. 1. tit. 8. thes. 32. & seqq.*

Præter

XXXIV.

Præter has sunt aliæ res publicæ, quæ sunt in patrimonio populi, & quarum commercium est. *fac. d. l. 6. pr. l. 32. ff. de contrah. empt. l. 15. 16. 17. ff. de V. S. in quibus usucapio aut longitemporis præscriptio locum habere videtur. Certis casibus exceptis, quibus tantum præscriptio centum annorum civitati obstat. l. 23. C. de SS. Eccles. Quæ præscriptio centenaria, an ut in Ecclesiis & cæteris piis causis, ita & in civitatibus sublata sit, per N. III. & 131. c. 6. dubium est? Neg. communiter Dd. alleg. à Fachin. lib. 8. contr. c. 3. quam sentent. prob. Cujac. d. lib. 5. Obs. c. 5. Donell. lib. 5. Comment. Jur. Civ. c. ult. & Hillig. in Don. Enucl. d. loc. lit. F.*

XXXV.

Ad res publicas etiam, quæ extra commercium sunt referri possunt, Jurisdictio, Imperium merum & mixtum, & alia quædam Jura publica: quæ tamen usu hodierno, non tantum adversus pares aut inferiores magistratus, sed etiam adversus Imperatorem, præscriptione 20. 30. 40. vel etiam 100. annorum acquiri, communiter receptum est. *vid. Obrecht. de Jurisdic. lib. 2. c. 3. n. 18. & seqq. & lib. 3. c. 3. Gebhard. de Usucap. c. 3. §. 2. n. 50. & seqq. & c. 4. §. 2. n. 10. & seqq.*

XXXVI.

Quæri hîc potest: Utrum status aliquis ab Imperio Romano Germanico ita se per jus præscriptionis eximere possit, ut justè libertatem usucaptam hodiè adversus Imperatorem allegare possit? *N. Obrecht. dd. loc. Reinkingk. de regim. secul. & Eccles. lib. 1. clas. 2. c. 8. Dan. Otto. in disert. de Jure Pub. c. 23. Schönborn. lib. 5. Polit. c. 7. in fin*

XXXVII.

Usucapi quoq; ac longo tempore acquiri non possunt res fisci. *l. 18. l. 24. in fin. ff. h. t. §. 4. Inst. h. t. l. 2. C. commun. de usucap. quæ jam fisco incorporatæ, sive in patrimonium fisci redactæ sunt: Sed opus hîc est longissimi temporis hoc est 40. annorum præscriptione. l. 4. 6. C. de præscript. 30. annor. tot. tit. C. ne rei Domin. vel templ. l. ult. C. de fund. patrim. l. 11. 61. & l. ult. C. de fund. repriv. lib. 11. tit. 65. Quæ verò fisco nondum incorporatæ sunt, sive quas nondum habuit fiscus & possedit, ab earum petitione 20. annorum præscriptione, à domino vel bonæ fidei possessore; à malæ fidei possessore verò 30. annis, excluditur, l. 13. pr. ff. de div. & temp. præscript. l. 1. §. pen. ult*

ff. de jure fisci. l. 2. 3. ff. de requir. re. & absent. dam. certis causis exceptis, in quibus alia tempora specialiter constituta sunt. d. l. 13. pr. l. 2. C. de vectig. & commis. Cujac. de divers. tempor. prescript. c. 28. & 31.

XXXVII.

Quod de prohibita Usucapione in rebus fiscalibus dictum est, limitatur in bonis vacantibus. Hæc enim quamvis ipso Jure fisco acquirantur, si solvendo sunt. *l. 1. §. 1. l. 44. ff. de jure fisci. l. 3. ult. C. de bon. vacant. lib. 10. tit. 10. l. 2. C. ad L. Jul. de vi pub.* Si quis tamen ex iis antequam fisco nunciata sunt, rem aliquam bonâ fide acceperit, eam usucapere, eaque usucapione se adversus fiscum defendere potest, etiam si bona postea fisco fuerint nunciata. *§. 4. Inst. h. t. l. 18. ff. eod.* Hinc Q. si post cœptam usucapionem vel longi temporis præscriptionem, nondum verò absolutam, bona fisco nunciata fuerint, an usucapio postea impleta fisco obstat? Quod affirm. puto: nisi simul cum possessore contestata fuerit. *fac. l. 10. pr. ff. de div. temp. prescript. Dd. ad. l. 1. C. de quadr. prescript. Peregrin. de jure fisci. lib. 6. tit. 8.*

XXXIX.

Fieri autem debet fisco bonorum vacantium nunciatio intra quadriennium, à die quo certum esse cœpit, defunctum sine successore decessisse. *l. 10. §. 1. 2. ff. de div. temp. prescript. post quadriennium enim fiscus à possessore (etiam injusto) præscriptione quadriennii repellitur. l. 1. C. de quadrienn. prescript. l. 6 §. 6. ff. si quis omis. ca. test.*

XL.

Furtivarum quoque rerum, & earum quæ ex illis nascuntur (quatenus scilicet tanquam ex furtivis natæ, & ut res furtivæ considerantur. *ut l. 48. §. 5. ff. de furt. l. 4. §. 15. & seqq. l. 10. §. ult. l. 33. 51. l. ult. ff. h. t. l. 11. §. 3. ff. de Public. in rem*: quod variis distinctionibus explicari solet. *vid. Cujac. lib. 15. Observ. c. 20. Donell. Enucl. Hillig. lib. 5. c. 25. & innotat. Gebhard. d. l. c. 2. Bachov. ad Treutl. vol. 2. disp. 22. thes. 3. A. B.*) usucapionem lex XII. Tabularum, ut & Attinia ad eò inhibet. *§. 2. Inst. h. t. l. 4. §. 16. l. 44. §. 2. h. t. l. 12. C. de furt. ut non solum à fure ipso, sed ne quidem ab alio bonâ fide emente usucapi possint, quamdiu in veri domini potestatem reversæ non fuerunt. §. 3. Inst. h. t.*

Quod

X L I .

025.

Quod autem de natis ex re furtiva dictum est, in partu ancillæ furtivæ potissimum locum habet. Fœtus enim pecudum furtivarum apud bonæ fidei possessorem nati, sine distinctione, utrum apud eum, an apud furem concepti fuerint, jure fructuum, statim, sine usucapione ei acquiruntur. *l. 48. §. 2. ff. de acq. rer. dom. l. 4. §. 19. l. 10. §. ult. ff. h. t. l. 48. §. 6. ff. de furt. Cujac. d. lib. 15. c. 20. Donell. Enucl. d. lib. 5. c. 26. & ibi Hillig. in not. lit. G.*

X L I I .

Quando verò res furtiva in potestatem domini rediisse videatur, copiosè exponitur in *l. 4. §. 6. & seqq. ff. h. t.* Et rediisse non videtur tùm, quando dominus eam retinere nequit; sed actione aut interdicto possessio ab eo avocari potest. *d. l. 4. §. 11. ff. h. t. l. 13. §. pen. ff. de V. S.*

X L I I I .

Insuper etiam hoc requiritur, ut sciat dominus, rem suam sibi surreptam, iterum à se receptam esse. *l. 4. §. 7. & seqq. ff. h. t. l. 7. §. furtiva. ff. pro empt. l. 86. ff. de furt.* In domini autem potestatem rem pervenisse necesse est: Nec sufficit, eum, per quem dominus possedit, & cui furtum factum est, veluti commodatarium, conductorem, creditorem. *§. 13. & seqq. Inst. de O. qua ex delict. possessionem nactum esse, d. l. 4. §. 6. & seqq.* Quod tamen ita accipiendum est, nisi voluntate domini apud alium esse cœpit. *d. l. 4. §. 10. l. 13. 14. ff. h. t. l. 84. ff. de furt.*

X L I V .

Domini loco hîc etiam habetur bonæ fidei possessor, ita ut res ei surrepta, furtiva esse desinat, si in ejus potestatem redierit. *l. 4. §. 21. l. ult. ff. h. t. junct. l. 12. §. ult. ff. de stat. lib. l. 6. §. 3. ff. de precar. quod non tantùm in rebus furto ablati, sed etiam vi possessis procedit, dd. l. 1. 24. §. 1. h. t. l. ult. ff. vi bon. rapt. l. 17. §. ult. ff. de furt. §. 3. Inst. h. t. Cujac. lib. 24. Observ. c. 13.*

X L V .

Hinc si debitor, rem furtivam à se bonâ fide possessam, & creditori pignori datam, subtraxerit; dubium est, an res furtiva facta sit, & proinde usucapi nequeat, antequam in potestatem creditoris reversa fuerit? Disting. puto: Utrum ipse debitor eam possideat;

B 3

23

an verò alii b. f. accipienti distraxerit; hoc casu usucapio procedit. l. 4. §. 21. ff. h. t. l. 5. ff. pro empt. non illo. l. ult. ff. h. t.

XLVI.

Quod de rebus furtivis dictum est, idem locum habet etiam vigore legis Juliae & Plautiae in iis, quae vi possessae sunt. Neq; enim violentus possessor, vel alii, qui bonâ fide rem ab eo accipiunt, eam usucapere possunt. d. §. 2. l. 4. §. 22. ff. h. t. Si verò alius aliquis fundi, à quo dominus vi dejectus fuit, possessionem vacuum sine vi nactus sit eamq; postea bonæ fidei emptori tradiderit, tunc bonæ fidei possessor fundum longo tempore usucapere non prohibetur. d. §. 2. Inst. h. t. l. 4. §. 22. 29. 38. l. 33. §. 2. ff. h. t.

XLVII.

Quid si quis (Domino forsan longo tempore absente. l. 37. ff. h. t. l. 15. §. 21. ff. de dam. infect.) vacuum fundi possessionem ingressus, dominum postea ingredi volentem prohibeat, videbitur ne vi possidere? N. d. l. 24. §. 28. vid. tamen. l. ult. C. unde vi. Gebhard. d. l. c. 2. §. 2. n. 10.

XLVIII.

Haec tenus dictarum rerum naturam sequuntur etiam res Praefecti & Praesidi contra legem Juliam repetundarum datae. l. 48. in fine. pr. ff. de A. R. D. l. 8. ff. ad L. Jul. repet. quod scilicet usucapi non possint, nisi vitium sit purgatum, & res in potestatem ejus à quo profecta est, vel hæredis ejus, reversa fuerit. d. l. 8. §. 1.

XLIX.

Res pupillares quoq; exceptas esse ab usucapione, patet ex l. 48. in pr. vers. nec interest. ff. de A. R. D. An verò id de omni re pupillari intelligendum sit. Q. Disting. puto. inter res pupillares mobiles & immobiles. In illis usucapio locum habet. fac. l. 4. §. 11. ff. h. t. l. 2. §. 15. l. 7. §. 3. ff. pro empt. l. 4. §. 28. ff. de dol. except. l. 2. ff. qui pro tut. l. 14. §. 1. ff. de acq. poss. l. un. C. si advers. usuc. Non autem in his. d. l. 48. in fin. pr. l. 10. pr. ff. quem. servit. amitt. l. 3. 7. C. de prescript. 30. annor. l. ult. C. de usucap. pro empt. l. 3. C. de auctor. prestand. l. 1. C. Si quis ignor. rem. min. Res autem aliena à pupillo bonâ fide possessa quaecunq; sive mobilis sive immobilis, etiam si quasi pupillaris vendita sit, à bonæ fidei emptore usucapi posse videtur. d. l. 2. §. 8. 15. ff. pro empt. gloss. ad d. l. 48. pr. Cuiac. lib. 24. Observ. c. 14. & ad l. 4. §. 11. ff. h. t.

In qui

L.

In quibus easibus verò res pupillaris usucapi nequit, in iis etiam usucapio vel præscriptio cœpta contra defunctum adversus pupillum non continuatur. *dd. ll. Wesenbec. w. ff. h. t. n. 14. Treutler. vol. 2. disp. 32. th. 3. lit. G. Hillig. in Don. Enucl. d. lib. 5. c. 23. lit. D.*

L I.

Hic dubitari posset, An quod de usucapione rei pupillaris mobilis dictum est, *l. ult. C. in quib. caus. in integ. restit.* nec non est abrogatum sit? Ita quidem putat Gilken. *de usucap. & præscript. part. 3. c. 1. n. 78.* Neg. probabilior videtur. quam prob. *Cujac. ad tit. C. quibus. non obiic. longi temp. præscript. Duaren. ad d. l. ult. C. in quib. caus. in int. restit. nec. non est. Donell. Enucl. Hillig. lib. 21. c. 9. lit. G. & in not.*

L I I.

Res puberum minorum annis XXV. usucapi posse patet ex *d. l. un. C. si advers. usucap.* Quam ne quidem quoad usucapionem rerum immobilium, abrogatam esse, *trad. Auct. alleg. ad th. preced.* Quod si tamen res minoris usucapta sit, restitutione in integrum ei adversus usucapionem succurritur. *d. l. un.* Quæ an etiam adversus præscriptionem XXX. annorum minori concedatur, controversum est. Neg. probabilior videtur. *per l. 3. 7. C. de præscript. 30. vel 40. ann. vid C. A. lib. 4. tit. 4. th. 29. Hillig. in Don. Enucl. d. lib. 21. c. 9. lit. 1. in not.*

L I I I.

Ad res quæ usucapi non possunt, Doct. referunt etiam res furiosorum, prodigorum, quibus bonis à magistratu interdictum est, & aliorum qui quamvis legitimæ ætatis sint, curatorum auxilio reguntur. *arg. l. 8. 11. ff. de reb. eor. qui sub tut. vel cura sunt & c. l. 2. C. eod. cum simil. latè Gilken. d. part. 3. c. 2. n. 37. & seqq. quod tamen per eaquæ in th. preced. dicta sunt, dubium redditur.*

L I V.

Nec rei meræ facultatis præscribi posse, Dd. communiter statuunt, *per l. 2. ff. de via publ.* Eoq; referunt jus reluendi pignoris, & jus offerendi ex pacto de retrovendendo, & provocandi ad divisionem rei per multos annos communiter possessæ. & c. quibus ne quidem triginta annorum præscriptionem obstare tradunt, *Gail. lib. 2. Observ.*

23



Observ. 18. Mynsing. cent. 1. Observ. 16. C. J. A. lib. 18. tit. 1. th. 54. & lib. 20. tit. 6. th. 6. in fin.

L V.

De annis redditibus hinc Quæstio movetur, An Usucapi, seu potius longo tempore acquiri possint, si quis decem vel viginti annis redditus ab aliquo (tanquam ex emptionis aliave causa, quâ ab initio constituti esse putantur) acceperit? Neg. videtur. *fac. l. 2. C. de pact. l. 7. C. de usur. Solutio tamen reddituum longo tempore continuata præsumptionem parit pro creditore, eos ex justa causa deberi. fac. l. 6. ff. de usur. l. 20. C. de agric. & censit. lib. 11. tit. 47. laie Gilken. d. tr. part. 2. memb. 1. c. 4. Gebhard. d. c. 3. §. 2. n. 31.*

L V I.

Libertas quoque à præstatione annuorum reddituum decem vel viginti annorum præscriptione non acquiritur. Quin nec præscriptione triginta annorum jus annuorum reddituum finire; sed adversus singulas obligationes, quæ annuatim nascuntur, singulas præscriptiones requiri, communiter à Doctoribus receptum est. *per l. 28. ff. quib. mod. ususfr. amitt. l. 7. §. ult. C. de præscript. 30. annor. Mynsing. cent. 3. obs. 13. Gail. lib. 2. Obs. 13. Borcholt. de usur. c. 4. n. 34. & seqq. C. J. A. lib. 22. tit. 1. th. 18. Quamvis jus percipiendi annuos redditus ex certo fundo, ut alia jura realia, longi temporis possessione acquiri, & eadem ratione, præscriptâ libertate, amitti, non absurdè forsan statuatur. per ea quæ trad. Gail. d. lib. 2. Obs. 7. n. 9. & seqq. & Obs. 10. Gebhard. d. loc.*

L V I I.

Rerum dotalium immobilium etiam usucapio non procedit. *l. 4. ff. de fund. dot. l. 1. C. de usuc. pro dote l. 3. C. de præscript. long. temp. aded ut etiam fundus alienus in dotem datus usucapi nequeat. vid. Cujac. lib. 14. Obs. c. 9. Sitamen inchoata fuit usucapio, antequam dotales factæ sunt, continuatur. l. 16. ff. de fund. dot.*

L V I I I.

Tandem inter res quæ usucapi non possunt, refero eas, quæ à testatore in testamento alienari prohibitæ sunt. *l. ult. §. 3. C. commun. de legat. l. 2. C. de usucap. pro empt.*

Formam



LIX.

Formam Usucapionis & Præscriptionis constituunt re-^{Forma.}
quisita, sine quibus ea ceu formâ suâ esse non potest.

LX.

Inter requisita autem illa, primum locum sibi vindicat, Bona Fides possessoris usucapientis, *pr. Inst. de usucap. l. unic. C. d. usucap. transform.* quæ est sincera & illæsa conscientia, sive justa opinio, quâ possessor rem alienam à se possessam, suam esse, vel justè à se pro suâ possideri existimat. *l. 32. §. 1. ff. h. t. l. 3. ff. ad L. Fab. de plag. l. 27. ff. de contrab. empt. l. 109. ff. de V. S.* Ignorantia enim rei alienæ, ad b. f. possessionem necessaria est in usucapionibus, (quamvis aliàs sciens quoq; rem alienam justè possidere possit. *l. 13. §. 1. ff. de Publician. l. 22. §. 1. ff. de nox. act.*) paucis casibus exceptis, quibus is qui sciens rem alienam accepit b. f. possidere & usucapere potest. *l. 28. ff. de nox. act. l. 15. §. 28. & seqq. l. 18. §. 15. l. 39. §. 1. ff. de dam. inf. fac. 137. ff. de R. J. l. 11. ff. de acq. poss. l. 14. pr. ff. de relig. vid. Gilken. d. part. 2. memb. 2. c. 5.*

LXI.

Et bona fides in usucapione aded necessaria est, ut si per alium, veluti filiumfam. aut procuratorem quis possessionem rei alienæ adquisierit, & tempore emptionis, vel traditionis sciverit eam esse alienam, usucapere non possit. Nec interest filiusfam. ex causa peculii, vel extra eam rem acceperit. *l. 43. §. 1. ff. h. t. l. 2. §. 11. 12. 13. ff. pro empt.* Quid si filiusfam. vel procurator sciat rem esse alienam, ego ignorem? Scientia eorum meæ usucapioni obstare videtur. *dd. ll. nisi ex mandato meo certam rem meo nomine acceperint, mihiq; tradiderint, tum enim mea tantum bona fides spectatur. fac. l. 1. ff. pro empt. l. 17. ff. de lib. ca. l. 51. pr. & §. 1. ff. de Edil. Edict.*

LXII.

Quæritur: Utrum de jure suo dubitans, bonam fidem habere censeatur? *N. quò fac. l. 32. §. 1. h. t. l. ult. C. unde vi l. 17. C. de R. V. C. J. A. h. th. 14.* Cum autè ex sententia Juris Canonici usu recepta, (*inf. th. 65. & seqq.*) mala fides superveniens, cœptâ usucapionē interrumpat, non videtur improbanda distinctio *Dd. communiter approbata* Quod scilicet dubitatio obstet usucapionem inchoare volenti, cœptam autem usucapionem non impediatur. *vid. Gilken. d. memb. 2. c. 2. n. 32. & seqq. & n. 132. & seqq.*

C

L X I I I.

Quia verò in usucapionibus nanciscendæ possessionis origo, non obtinendæ ratio requirenda est. *l. 6. ff. de acq. poss.* idè bona fides non omni tempore in usucapione requiritur; sed sufficit illam ab initio usucapionis sive traditionis habuisse: excepto contractu emptionis & venditionis; in quo tam celebrati contractus, quàm traditionis tempus spectatur. *l. 2. in pr. ff. pro empt. l. 10. l. 15. §. ult. l. 48. ff. h. t.* Ratio differentiæ est in *d. l. 15. §. ult. & in d. l. 2. pr.* Post cœptam usucapionem superveniens mala fides cursum usucapionis non sistit. *l. 48. §. 1. ff. de acq. rer. dom. l. 2. §. 13. l. 13. ff. pro empt. l. unic. vers. hoc tantummodò. C. de usucap. transform. N. 119. c. 7.*

L X I V.

Porro requiritur hæc bona fides tantum in præscriptione longi temporis: non etiam longissimi temporis præscriptione triginta vel quadraginta annorum. *t. t. C. de præscript. 30. vel 40. annor.* adè ut res furtivæ, & vi possessæ, non quidem per usucapionem aut longi temporis præscriptionem acquirantur. *§. 2. Inst. h. t. sup. th. 40. & seqq. præscribi tamè iis spatio triginta vel quadraginta annorū possit, non tantum à tertio aliquo, verum etiam ab ipso fure vel violento possessore, l. 2. 3. 4. C. de præscript. 30. ann. l. unic. §. 2. C. de annal. except. l. ult. in fin. C. unde vi. pr. Inst. de perpet. & temp. act. propter negligentiam scilicet dominorum in res suas non inquiringentium, arg. l. 24. ff. de his. qua in fraud. cred. & ut litium aliquis finis esset. l. 1. §. 1. C. de annal. except. hæc tamen præscriptione longissimi temporis m. f. possessor sibi tantum quærit exceptionem, quamdiu rem possidet, non etiam actionem, qua rem amissam recuperare possit. l. 8. §. 1. 2. C. de præscript. 30. ann.*

L X V.

Quamvis autem hæc ita Jure Civili sese habeant; Jure Canonico tamen bona fides omni tempore usque ad præscriptionem completam requiritur, adè, ut si ante ultimum præscriptionis diem, mala fides superveniat, præscriptio interrumpatur. *c. fin. Extr. de præscript. c. possessor. de R. J. in 6.*

L X V I.

Quod idè tam strictè & præcisè requiri videtur, quod Leges Civiles, propter scientiam rei alienæ fovere peccatum existimentur.

Gail.

628.

Gail. lib. 2. obs. 18. n. 8. quâ de causâ Juris Canonici doctrinam velut iustiore & æquiore in Camerâ Imperiali hodiè receptam atq; approbatam esse testatur *Mynsing. cent. 4. obs. 6. Gail. d. loco. n. 7.* & propterea etiam in aliis Consistoriis ac Judiciis inferioribus sequendam, cum aliis tradit. *Vultejus ad h. t. n. 40.*

LXVII.

Et hoc non tantum in usucapione, & longi temporis præscriptione; sed etiam præscriptione XXX. aut XL. annorum, (etiam illa, quâ actionibus personalibus præscribitur, & quæ non tam ex facto possidentis, quàm negligentiam non agentis procedunt.) sed etiam præscriptione immemoriali obtinere, ut eam mala fides non tantum ab initio impediatur, sed postea superveniens interrumpat, trad. comm. *Dd. per. c. 3. 5. pen. ult. Ext. de præscript. & ibi Cujac. vid. Vasq. illustr. controv. c. 76. Gilken. d. part. 2. memb. 2. c. 1. n. 4. & seqq. & c. 3. Rittershus. de differ. Jur. Civ. & Can. lib. 4. c. 3.*

LXVIII.

Sin verò impletâ jam est & omnibus suis partibus perfectâ præscriptione, mala fides superveniat, tunc ista malæ fidei supervenientia, non irritam facere præscriptionem, sed dominum rem præscriptam absq; conscientie morsu retinere posse, nec eam pristino domino restituere teneri, statuunt Canonistæ comm. *Schneid. h. t. n. 17. Gilken. d. part. 1. 2. n. 2. c. ult. Rittershus. d. c. 3.*

LXIX.

Hac in re tamen, tutius & consultius fuerit, si conscientie suæ dictamen quisque sequatur, & secundum illud rem, ex titulo præcipue lucrativo per usucapionem sibi quæsitam, non retineat, sed quantum inde cum alterius damno locupletior factus esset, priori domino restituat; si eam se bonâ & illæsâ conscientiam non retinere posse putet. *Obrecht. disp. de Usucap. th. 345. Rittershus. d. c. 3. Gilken. d. c. ult. in fin. C. J. A. h. t. th. 15.*

LXX.

Secundum requisitum Usucapionis & Præscriptionis est titulus, hoc est, causa habilis, per quam in aliquem alicujus rei dominium transfertur. *l. 24. C. de R. V. l. 22. C. fam. ercisc. l. 6. C. de ing. man. C. J. A. h. t. th. 12.* veluti emptio venditio, *pr. Inst. h. t. l. 27. ff. h. t. & tit. ff. & C. pro empt. & tit. seqq.* donatio, dotis datio, legatum. *d. pr. &*

23

*d. l. 27. l. 3. §. 21. ff. de acq. pos. & tit. ff. & C. pro don. pro dote &c. trans-
actio, judicatum. l. 11. ff. de acq. pos. derelictum. §. 47. Inst. de R. D. &c.*

L X X I.

Nihil autem refert, utrum titulus sit onerosus an lucrativus :
*dd. ll. modò sit verus, non putativus. Quod si enim quis existimave-
rit, se justo titulo possidere, postea verò appareat, se nullum verum
titulum habuisse, non potest usucapere. §. 6. Inst. h. t. l. 27. l. 29. ff. eod.
l. 2. pr. §. 6. 7. ff. pro empt. l. 1. pr. ff. pro don. l. 4. C. de usuc. pro her. l. 2.
C. de usucap. pro don. nisi justam falsæ opinionis suæ causam probare
possit. l. 2. pr. §. 15. l. 11. ff. pro empt. l. 3. 4. ult. §. 1. ff. pro suo. l. 48. ff. h. t.
Juris error hîc possidenti non prodest sed impedit usucapionem. l.
32. §. 1. ff. h. t. l. 2. §. 15. ff. pro empt. quamvis à dolo malo excuset. §. 1.
Inst. vi bon. rapt. l. 25. §. 6. ff. de her. pet. Quæ autem justæ erroris
causæ sint, exactè definiri non potest, sed judicis arbitrio relinquen-
dum est. vid. Gilken. d. part. 2. memb. 1. c. 1. 2. 3. Gebhard. d. c. 2. §. 1. n. 17.
& seqq. C. J. A. d. tit. 3. th. 12.*

L X X I I.

Hic Q. An ad Præscriptionem servitutum, longo tempore ab-
solvendam, requiratur bona fides, aut justa opinio tituli? Aff. *per l. 1.
C. de servit. l. 10. pr. ff. si servit. vind. l. 1. §. ult. vers. sanè enim. ff. de aq.
& aq. plur. vid. C. J. A. d. t. 3. th. 13. & lib. 8. tit. 1. th. 53.*

L X X I I I.

Sed hæc iterum procedunt in Usucapione triennii, vel longi
temporis præscriptione, non verò in XXX. vel XL. annorum, aut
temporis immemorialis præscriptione: hæ enim etiam absq; titulo
inchoantur & currunt. *l. 3. l. 4. 8. §. 1. C. de præscript. XXX. vel XL.
ann. Neq; hoc Jure Canonico sublatum puta. Ex quo communiter
hanc differentiam inter Præscriptionem longi temporis, & longissi-
mi statuunt: Quod in illa justum titulumvei ejus opinionem à pos-
sessore probari necesse sit; quo non probato, eum pro bonæ fidei pos-
sessore habendum esse negant. In hac verò bonam fidem ex solo
temporis decursu, nullo quamvis titulo probato præsumendum esse
putant. vid. latè hac de re Gilken. d. part. 2. membr. 2. c. 1. num. 14. &
seqq. & cap. 12.*

L X X I V.

Inter titulos, qui ad usucapionem habiles sunt, refertur etiam
titulus

titulus pro herede, & pro possessore, hoc est, pro bonorum possessore qui bonorum possessionem à Præatore ex testamento vel ab intestato impetravit. *Cui in w. ff. & comment. ad. tit. pro herede. Wesenb. Eod. C. J. A. d. lib. 41. tit. 5. th. ult.*

L X X V.

Pro herede possidere dicitur, vel is qui reverà heres non est, sed dicit tamen se heredem esse: vel is, qui heres quidem est, sed non respectu rei de qua controversia est. Hinc Q. I. An is qui heres non est, putat autem se esse heredem ex justa causa, pro herede usucapere possit? *Aff. per. l. 33. § 2. vers. hoc amplius. ff. h. t. dummodo is cujus heres esse dicitur, mortuus sit. l. 1. ff. pro hered. & nullos reliquerit suos heredes (his enim existentibus, usucapio pro herede, extraneo hereditatis possessori, etiam si b. f. sit, non procedit. l. 2. C. de usucap. pro hered.) & qui usucapit, non sit incapax hereditatis. l. 1. ff. pro herede. fac. l. 7. ff. pro legat.*

L X X V I.

(II.) Q. An is qui verè heres est rem alienam, quam ex hereditate esse putat, usucapere possit? *Aff. l. pen. ff. pro hered. Idq; non tantum in extraneis, sed etiam in suis heredibus obtinere puto. l. 2. §. 1. & ibi. Cujac. ff. pro hered. C. J. A. d. lib. 41. tit. 4. th. 6. Gilken. d. part. 2. membr. 1. c. 16. n. 15. & seqq. Hillig. in Don. Enucl. lib. 5. c. 14. J. K. in not. An verò hoc etiam procedat in re defuncto commodatâ, aut precariò concessâ, vel apud eum depositâ &c. dubium est. Neg. Exercitii causâ defendere conabor. quò fac. l. 11. ff. de div. temp. præscript. l. 8. C. de usufr. l. ult. C. de Usucap. pro hered. l. 4. C. de præscript. long. temp. l. 60. §. 1. ff. locati. Gilken. d. part. 2. memb. 1. c. 16. n. 38.*

L X X V I I.

Huc refertur etiam titulus usucapiendi pro suo, qui cum aliis titulis plerunq; concurrat. *l. 1. ff. pro suo. iis verò deficientibus, solus nonnunquam usucapionem parit. l. 2. 4. ff. d. t. Qui ex falsa causa possident, non tantum pro suo. sed etiam ex titulo, quem justâ erroris causâ intervenisse putant, usucapiunt. l. 1. 3. ult. ff. h. t. l. 11. ff. pro empt. Et hæc de secundo requisito.*

L X X V I I I.

Tertium requisitum est, continuata possessio. *l. 3. ff. h. t.*

L X X I X.

Possessio verò hîc ad eò necessaria est, ut sine eâ Usucapio procedere non possit. *l. 25. ff. h. t. l. 3. §. 3. ff. de acq. poss. l. 19. ff. ex quib. caus. maj.* paucis casibus exceptis, quibus eâ sine vera possessione procedit, ut in hereditate jacente. *l. 30. ff. ex quib. caus. maj. l. 31. §. 5. l. 40. 44. §. 3. ff. h. t. cuius nulla est possessio. l. 29. ff. de captiv. cum l. 23. ff. de acq. poss. l. 1. §. 15. ff. si is qui test. lib.* An verò inter casus exceptos etiam referendus sit, cum alicui res legata est, vel ex alio titulo, quo dominium sine traditione transfertur, peti potest; ut tum sicut dominium, ita & usucapiendi conditio sine possessione acquiratur? Neg. existimo *per. dd. ll. cum Dd. ad §. Sed ista. 3. Inst. de Action. vid. Jas. ad d. §. n. 36. & Zas. ibid. n. 12. 13.*

L X X X.

Cum autem possessionem aliam naturalem aliam civilem Doctores statuunt, & illam quidem solâ corporis insistentia, vel nudâ rei detentione, hanc verò animo definiant, vel justâ opinione possessoris, qui se sibi possidere putat, etiam si corpore suo rei non insistat, *Schneid. h. t. n. 57. vid. C. J. A. lib. 41. tit. 2. th. 5.* nou abs re erit querere: Quæ nam possessio ad præscriptionem sufficiat aut requiratur? Naturalem possessionem sive solam detentionem non sufficere; sed veram & civilem possessionem, atq; animum possidendi pro suo, requiri existimo. *per. ll. sup. alleg. l. 10. §. ult. ff. de acq. rer. dom. §. 4. vers. fructuarius. Inst. per quas pers. cuiq; acq. quamdiu autem possessio animo solo retinetur, tamdiu etiam usucapio continuatur. fac. l. 1. §. 14. l. 17. §. ult. ff. de furt. l. 17. §. 2. ff. de usufruct. cum simil.*

L X X X I.

Hinc consequens est (I) quod, cum duo non possint rem eandem in solidum possidere. *l. 3. §. 5. ff. de acq. poss. C. J. A. lib. 41. tit. 2. th. 7. n. 17.* ad usucapionem etiam requiratur possessio vacua, & ab alio non occupata. Undè dubium oritur: Cum Dominus absens possessionem animo retinere possit, *d. l. 6. §. 1. ff. de acq. poss. & plur. alleg. in th. preced. an. si quis fundum absentis (nullo præsertim procuratore relicto. exempl. l. 21. §. 2. l. 26. §. 1. ff. ex quib. caus. maj.)* ab alio occupatum b. f. emit, & legitimo tempore possedit, eum usucapisse videatur? Aff. *per §. 2. vers. quod autem. Inst. h. t. l. 37. §. 1. ff. eod.*
quò

quò fac. l. 15. §. 21. *ibi. quod aut pro derelicto. ff. de damno infecto. vid. Gilken. d. part. 2. memb. 3. c. 2. n. 6. & seqq. & memb. 1. c. 16. n. 56. & seqq.*

LXXXII.

(II.) Quod rei dominium usucapione quærere nequeant, quicumq; rem vel alieno nomine, sive pro alio possident, seu in possessione sunt; vel possident quidem, at non pro suo, sed pro alieno, hoc est, tanquam rem alienam. Quò referri possunt qui ex causa commodati, depositi, precarii, ususfructus, emphyteusis pignoris &c. possident. l. 16. 31. §. 3. l. 33. §. 4. ff. h. t. & al. sup. th. 77. alleg. vid. C. J. A. d. lib. 41. tit. 2. th. 7. & seqq. Quos nequidem præscriptione longissimi temporis (eadem possessionis causâ manente) adversus dominum, qui per eos possidere intelligitur se tueri posse, per l. 2. C. de præscript. 30. ann. trad. Cujac. ad. l. 2. vid. & Gebhard. d. l. cap. 1. n. 40. & seqq.

LXXXIII.

Porro continuata possessio requiritur, si enim semel interrupta sit, usucapio non procedit, sed de novo inchoanda est. l. 2. §. 24. ff. h. t. l. 10. C. de acq. poss. l. 2. C. de præscript. longi temp. l. 19. ff. Ex quib. caus. maj.

LXXXIV.

Continuata autem possessio dicitur, non solum ea, quæ penes unum eundemq; semper fuit sed etiam, quæ ab uno ad alterum legitime vel per contractum aliquem, veluti emptionem vel venditionem vel per testamentum est translata. §. 7. 8. Inst. h. t. quod adeò verum est, ut vacuum tempus ante aditam hereditatem, ad continuandam usucapionem heredi proffit. l. 22 l. 31. §. penult. l. 40. l. 44. §. 3. ff. h. t. l. 30. ff. ex quib. caus. maj. modò nemo in terim possessionem rei hereditariæ nactus sit. l. 20. ff. h. t. l. 6. §. ult. ff. pro empt. l. 1. 13. §. 4. ff. de acq. poss. aliàs possessio defuncti non continuatur in heredem tam suum, quàm extraneum; nec rerum hereditariarum possessio ei acquiritur, nisi ipse eam apprehendat. l. 23. in pr. l. 30. §. 5. ff. de acq. poss. fac. l. 2. §. ult. ff. pro herede. l. 1. §. 15. ff. si quis test. lib.

LXXXV.

Quæritur. I. Utrum heres malam fidem habens, rem à defuncto bonâ fide per biennium vel triennium possessam per continuationem possessionis usucapere vel longo tempore acquirere possit?

23

possit? *Aff. l. 2. §. 19. ff. pro empt. l. 43. ff. h. t. l. 14. §. 1. de divers. temp. prescript.* Quamvis de Jure Canon (de quo supra, th 65.) aliud statuendum videatur.

LXXXVI.

II. Utrum successor bonæ fidei universalis, rem à defuncto mala fide possessam, inchoatâ usucapione ex sua persona, acquirere possit? *N. l. 11. ff. de divers. temp. prescript. l. 11. §. 2. ff. de Publ. in rem. l. 3. C. commun. de usucap. l. 11. C. de acq. & ret. poss. l. 2. C. de fruct. & lit. expens.* Et hoc non tantum in primo herede, sed etiam herede heredis obtinere videtur. *fac. l. 2. §. 18. ff. pro empt. l. 6. ff. de V. S.* Non procedit autem in præscriptione longissimi temporis, *fac. l. 3. 4. 7. C. de prescript. 30. annor. nec diversum hac in re Jure Canonico esse constitutum trad. Gilken. d. part. 2. memb. 1. c. 16. n. 3. & seqq.*

LXXXVII.

III. Q. An ut heredi, ita & successori particulari, veluti, emptori, donatario aut legatario, qui rem m. f. & sciens alienam esse accepit, possessio b. f. antecessoris ad usucapionem profit? *N. l. 13. §. 1. ff. de acq. poss. l. 2. §. 17. ff. pro empt.*

LXXXVIII.

IV. Q. An successor particularis b. f. possessor, possit uti accessione possessionis antecessoris sui, cum antecessor ab initio quidem bonâ fide possedit, sed post cœptam usucapionem rescivit rem alienam esse? *Affirm. per l. 7. §. 6. ff. pro empt. d. l. 13. §. 1. ult. ff. de acq. poss. vid. etiam l. un. §. Hoc tantummodo. vers. in omnibus. C. de usucap. transform.* Quod an in rebus mobilibus etiam procedat, dubium videtur, propter regulam, §. 2. vers. nam qui sciens. *Inst. h. t. quòd fac. l. 6. 16. C. de furt. l. 1. C. de usuc. pro empt. l. 2. C. de usuc. pro Don. vid. tamen. Cujac. ad d. l. 7. §. 6. ff. pro empt.*

LXXXIX.

V. Q. An successor particularis rei à defuncto m. f. possessæ sed sibi b. f. traditæ, usucapionem ex sua personâ inchoare & perficere possit? *Affirm. Nec interest ex causa onerosa eam acceperit, an ex causa lucrativa. d. l. un. §. Hoc tantummodo. vers. in omnibus. C. de usuc. transform. l. 5. ff. de div. temp. prescript. tit. ff. & C. pro don. & tit. ff. pro legat. l. pen. C. de prescript. 30. annor. vid. l. 4. §. 27. & seqq.*

seqq. ff. dol. except. Donell. Enucl. lib. 5. cap. 20. & ibi Hillig. in not.
lit. H.

631.

X C.

Hæc accessio possessionum locum etiam habet in usucapione rerum incorporalium. l. 18. §. 1. ff. quem. serv. amitt. neq; hinc usucapionem libertatis servitutum Urbanarum excipere necesse est, propter. l. 32. §. 1. ff. de S. P. M. vid. Accurs. ibid.

X C I.

Ultimum requisitum, est tempus legitimum, l. 3. ff. h. t. cujus ratio in usucapione non à momento ad momentum, ut aliàs, exemplo l. 6. ff. de O. & A. l. 3. §. 3. ff. de minor. N. 23. sed totus postremus dies computatur, hoc est, ultimus dies cœptus, pro completo habetur. l. 6. 7. ff. h. t. l. pen. pr. ff. de div. temp. præscript. exemplo. l. 1. ff. de manumiss. l. 5. ff. qui test. fac. poss. l. 132. 134. ff. de V. S. vid. Don. Enucl. d. lib. 5. c. 19. & Hillig. in not. lit. C. D.

X C I I.

Illud autem tempus pro varietate usucapionum & præscriptionum non uniforme, sed varium à legislatoribus statutum est. pr. Inst. h. t. t. C. de præscript. long. temp. & t. t. C. de præscript. 30. vel 40. annor.

X C I I I.

Primæ igitur speciei usucapionis, quæ est rerum mobilium, ab Imperatore Justiniano spatium triennii fuit præscriptum, quo elapso dominium rei plenè quæsitum est. pr. Inst. h. t. l. unic. C. de usuc. transform.

X C I V.

Hic Q. Utrum hæreditas, ex solis constans mobilibus, quoad usucapionis effectum, mobilium, an verò immobilium jure censenda sit? Neutro Jure, quo ad usucapionem, eam habendam esse, puto si consideratur ut universitas. quò fac. l. 7. C. de her. petit. Quod si considerantur res hereditariæ tanquam singulæ, à b. f. possessoribus, ad quos sine vitio pervenerunt, recte usucapiuntur. l. 25. §. 7. ff. d. t. vid. thes. 74. & seqq. Gebhard. d. tract. c. 2. §. 2. n. 1.

X C V.

Secundæ speciei usucapionis, quæ est rerum immobilium, & vocatur longi temporis præscriptio, Jure Justiniano decennium in-

D

23



ter præsentibus, vicennium verò inter absentes præfixum est. *pr. Inst. h. t. l. unic. C. de usucap. transf. t. t. C. de præscript. long. temp.* ita ut si quis quibusdam annis præsens sit, quibusdam absens, ei super decennium adiiciantur tot anni, quot annis in decennio absens fuit. *N. 19. c. 7. & ex ea Auth. si quis. C. d. t.*

XCVI.

Præsentibus autem dicuntur non respectu rei quæ usucapitur, neq; respectu personæ, quæ usucapit, sed respectu domicilii, quod uterq; hoc est, tam possessor quam cuius res longo tempore capitur, in eadem provincia, sub eodem præside & regimine, licet in diversis civitatibus habet, *l. ult. C. de præscript. long. temp.* Absentes verò dicuntur, qui domicilium in diversis provinciis habent. *d. l. ult. vers. fin autem. Schneid. h. t. de spec. præscript. n. 4.*

XCVII.

Huic consequens est, ut contra eum, qui in eadem quidem Provincia cum præscribente degit, in aliâ verò domicilium habet, non ut præsentem, sed veluti absentem præscriptio complenda sit. *arg. d. l. ult. C. de præscript. long. temp. Gebhard. d. tract. c. 3. §. 1. n. 4.*

XCVIII.

Quæritur hîc, An Præsentibus dici possint, qui in confinio duarum provinciarum domicilia habent? *N. d. l. ult. C. de præscript. long. temp. Donell. d. lib. 5. c. 19. in pr.*

XCIX.

Hodiè mutatâ Provinciarum formâ antiquâ, præsentibus dici, qui sub eadem sunt præfectura, vel qui eundem habent Judicem, *not. Obrecht. disput. de Usucap. th. 270. & ex eo Gebhard. d. c. 3. §. 1. n. 6.*

C.

Quod de tempore decennii & vicennii in longi temporis præscriptione necessario dictum est, ex parte mutavit Justin. *in N. 119. c. 6. & Authent. mala fidei. C. de præscript. long. temp.* quâ constituitur, ut is qui rem immobilem à m. f. possessore accepit bonâ fide, tum demum eam 10. vel 20. annis usucapiat, cum dominus scivit rem suam ab alio possideri: quod si hoc ignoret, XXX. annorum possessio necessaria est. Neq; tamen in hac specie usucapionem penitus

632
nitus sublatam, sed tantum in longius tempus dilatam esse arbitror.
Schneid. ad §. 4. n. 43. Inst. de Actio. Hillig. in Don. Enucl. lib. 20. c. 8. lit. R. in not.

C I.

Hic Q. I. An dispositio d. N. locum habeat, cum is qui bona fide ab initio fundum possedit, & usucapere coepit, eundem, postquam eum alienum esse cognovit, alii b. f. accipienti tradidit? Non videtur. *fac. alleg. sup. th. 85. vid. Gilken. d. part. 2. memb. 2. c. 7. n. 21. & seqq.*

C II.

II. Q. An d. N. procedat, cum is qui a m. f. possessore rem accepit b. f. eam alii b. f. emptori iterum vendidit? *Neg. Gilken. d. c. 7. n. 13. & seqq. Gothofred. in not. ad d. N. & d. Authent. tum praecipue, cum secundus emptor non utitur accessione possessionis antecessoris, sed sua tantum possessione usucapionem absolvit. fac. l. 4. §. 27. 31. ff. de dol. except. sup. th. 86.*

C III.

Huic affinis est praescriptio longissimi temporis, quae XXX. vel XL. annorum cursu perficitur: & nec titulum requirit, nec bonam fidem, atq; omnibus actionibus tam personalibus & mixtis, quam realibus finem imponit. *tot. tit. C. de praescript. 30. vel 40. annor. ut & praescriptio immemorialis, quam centum annis aut pluribus communiter definiunt. Exemplum ejus est in l. 23. C. de SS. Eccles. l. 3. §. 4. ff. de acq. cottid. c. 26. Ext. de V. S. c. 1. de praescript. in 6. posse tamen immemoriam praescriptionem nonnunquam majorem esse centenariam, nonnunquam minorem, trad. Obrecht. disput. de praescript. th. 280. plures praescriptionum species, vid. apud Schneid. d. loco.*

C IV.

Finis Usucapionis & Praescriptionis est bonum publicum, ne scilicet rerum dominia semper sint in incerto. *l. 1. ff. h. t. pr. Inst. h. t. & ut litium ac controversiarum finis esset. l. ult. ff. pro suo.*

Finis.

C V.

Effectus est, ut rerum, quas usucapimus triennio, vel longo

Effectus.

tempore, plenum dominium acquiramus. l. 3. ff. h. t. pr. *Just. h. t. l. unic.*
C. de usucap. transform. l. 26. C. de pact. Ulpian. in fragm. tit. 19. §. 7.
Neq; hinc distinguendum puto inter usucapionem rerum mobilium,
& immobilium, sive longi temporis præscriptionem. Ut ut enim
Jure antiquo inter eas hac in re differentia fuerit, ea tamen per Con-
stitutionem Justin. sublata est. l. unic. *C. de usucap. transform. l. unic.*
C. de nudo Jure Quirit. toll. §. 40. Just. de R. D. pr. Just. h. t. Donell. Enucl.
lib. 5. c. 29. & ibi Hillig. in not. lit. A. Wesenb in w. h. t. n. 14. Obrecht.
disp. de usucap. th. 304. & seqq. Ampliß. Dn. D. Bitsch. de Thesauris, di-
sp. 2. th. 175. Gilken. d. loc. part. 1. c. 3. n. 27. & seqq. C. J. A. d. tit. 3.
hes. 2. & 3.

CVI.

Ex hoc effectu fluunt alia Jura, quæ Jure Domini Dominis re-
rum competunt: veluti actio in rem, seu Rei vindicatio, adversus
quemvis possessorem, eum etiam qui ante usucapionem rei usuca-
ptæ dominus fuit. l. 23. *de R. V. quod fac. l. s. pr. C. de præscript. 30. ann. &*
proindè multò magis exceptio adversus eum, qui eâ de re litem mo-
vet. l. 1. §. 4. ff. de superfic. l. 1. C. pro don. l. 4. C. pro empt.

CVII.

Non tamen, ut dominium & rei vindicatio, ita etiam actiones
personales rei usucptæ nomine adversus usucapientem competen-
tes extinguuntur sed nonnunquam perfectâ usucapione, ad rem u-
sucaptam persequendam supersunt. *exempl. l. 15. §. 1. ubi Gloss. ff. de*
condict. indeb. l. 13. pr. cum. l. 33. ff. de mort. c. donat. Pac. Enantioph.
cent. 3. quest. ult.

CVIII.

Quod suprâ de effectu usucapionis (*th. 105, & 106.*) dictum est,
etiam obtinet illis casibus, quibus longi temporis præscriptio ad 30.
annos extenditur. *N. 11. c. 6. (sup. th. 100.) quod etiam referri potest. N.*
22. c. 24. & Auth. nisi tricennale. C. de bon. matern.

CIX.

Alias præscriptio 30. annorum non videtur modus acquiren-
di Domini. l. 8. §. 1. & t. t. *C. de præscript. 30. ann. l. 1. C. de annal. ex-*
cept. Gilken. d. p. 1. c. 3. n. 40. & seqq. Sed possessori exceptionem tan-
tùm

053

tum tribuit, si malâ fide rem nactus sit, eamque tempore longissimo possederit. (ita ut possessione amissâ nullum habeat adversus novum possessorem recuperandæ possessionis remedium, nisi forsan vi dejectus fuerit) vel præter exceptionem, etiam utilem actionem in rem ei parit, tam adversus dominum, quam alios novos possessores, si bonæ fidei possessor fuit, juxta distinctionem l. 2. §. 2. C. de præscript. 30. ann. vid. Obrecht. disput. de præscript. th. 299. & seqq.

C X.

Affinia Usucapionis & longi temporis præscriptionis sunt, ^{Affiniae} aliæ præscriptiones de quibus supra passim aliquid dictum est. Quò etiam referri possunt, donatio, legatum, dos, aliq; Juris Civilis modi, quibus dominia acquiruntur. de quibus vid. C. J. A. h. t. th. 19.

C X I.

Contraria Usucapioni & Præscriptioni est usurpatio sive in-^{Contraria}terruptio, quâ cœptæ usucapionis vel præscriptionis continuatio interpellatur. l. 10. C. de acquir. poss. l. 2. ff. h. t. Wesenbec. w. hic n. 15.

23

C X I I.

Hanc interruptionem duplicem Dd. statuunt, unam naturalem, aliam civilem: Et illam quidem contingere tradunt, quando possessio aliquo facto interruptitur & verè amittitur. Hanc verò, quando subtilitate & autoritate Juris, veluti per litis contestationem, aut judicis interpellationem, continuatio possessionis interpellatur. Wesenb. cit. loco. Obrecht. d. disp. de Usucap. th. 383. 410. C. J. A. d. tit. 3. de usurpat. th. 2.

C X I I I.

Ad naturalem interruptionem pertinent modi quibus possessio amittitur, de quibus vid. C. J. A. d. lib. 41. tit. 2. th. ult. Veluti cum quis vi possessione deicitur, vel alicui res eripitur. l. 5. ff. h. t. vel is cui res aliena ab eo qui usucapere cœpit, pignori data, commodata, aut locata est, alii eam tradiderit, possessionis domino intervertendæ causâ. l. 33. §. 4. ff. h. t. l. 31. 32. ff. de acq. poss. neq; hoc mutatum videtur per l. ult. C. de acq. poss. ut trad. Cujac. in comment. ad d. l. ult.



Hic Q Cum possessio tigni (hoc est materiæ ex qua ædificia fiunt. §. 29. *Inst. d. R. D. l. 62. ff. de V. S.*) amittatur, cum illud ædibus jungitur. l. 23. *ff. h. t. quò fac. d. §. 29. Inst. de R. D. l. 7. §. 10. ff. de acq. rer. dom. l. 23. §. pen. & ult. ff. de R. V.* An si quis tignum alienum, bonâ fide & sine vitio nactus sit, & usucapere cœperit; idq; ante impletam usucapionem ædibus jungat, cœpta usucapio interrumpatur? *pro Neg. fac. l. 30. §. 1. ff. h. t. ut eam explic Cujac. Ibid.*

Interruptâ sic usucapione naturaliter, is qui possidere desit, etsi possessionem iterum apprehendat, tempora tamen priora ei non computantur, sed usucapio de novo inchoanda est; quæ etiam impeditur, si tempore apprehensæ denuò possessionis, quis sciverit rem alienam esse. l. 5. l. 15. §. penult. *ff. h. t. l. 7. §. 4. ff. pro empt.*

Civilem usurpationem, vel interruptionem iterum dividunt in judicialem & extrajudicialem. Fit enim variis modis, veluti conventionem, sive in jus vocatione, l. 3. l. 7. *pr. C. de præscript. 30. ann. vel factâ à domino contestatione, juxta l. 2. C. de annal. except. & aliis modis. vid. Cujac. lib. 27. observ. c. 32.*

Hac in re differentia videtur esse inter usucapionem, & longi temporis præscriptionem. Illa enim litis contestatione non interrumpitur: sed lite contestata currit, & impleri potest, ac possessore absoluto rata & firma manet. eo verò cõdeinnatio quodammodò rescinditur & irrita fit. l. 17. *in fin. l. 18. 21. ff. de R. V. l. 9. §. 6. ff. ad Exhib. l. 2. §. ult. ff. pro empt.* Hæc verò interrumpitur litis constitutione: aded, ut nequidem omisâ lite ab actore, vel possessore absoluto, continuari aut impleri possit, sed de novo eam inchoare necesse sit. l. 10. *C. de acq. poss. l. 1. 2. 10. C. de præscript. longi temp. l. 24. C. de R. V. N. 119. c. 6. Auth. mala fidei. C. de præscript. long. temp. Cujac. in Comment. ad tit. C. de præscript. longi temp. Wesenbec. & ff. h. t. n. 15.*

Hic Q. An usucapio & longi temporis præscriptio solâ citatione interrumpantur? Neg. videtur per alleg. ad th. præced. nisi propter rei tergiversatione, qui litem secum contestari passus non est, lis pro contestata habeatur. l. 2. vers. si verò C. ubi in rem act. l. 10. §. 2. ff. si quis caut. in jud. l. 174. ff. de R. J. Gail. lib. 1. obs. 74. n. 22. Wurmser. Præct. obser. tit. 4. obs. 8. Gebhard. de Usucap. c. 3. §. ult. n. 4.

CXIX.

Multò minus igitur extrajudicialis denunciatio cœptum usucapionis, vel L. T. præscriptionis cursum sistit. Certis tamen casibus Domino per denunciationem extrajudicialem, eam interpellare concessum est, juxta l. 2. C. de ann. except.

CXX.

De interruptione q: possessionis rerum incorporalium disceptatur, An extrajudicialis prohibitio, facta verbis, vel facto; denunciatione puta, sive pro testatione, aut pignoratione, ad hoc sufficiat? Affir. Wesenbec. & Dd. ab eo alleg. ff. h. t. n. 15. in fin. Quod quidem, si adversarius in istâ prohibitione acquievit, certum est. At si post eam per usum continuatum in sua possessione permansit. fac. l. ult. ff. de servitut. cum simil. non immeritò in dubium vocatur. l. 10. pr. ff. de serv. vind. l. ult. in fin. C. de præscript. long. temp. & c.

CXXI.

Longissimi temporis præscriptio conventionem seu citationem solâ, sine litis contestatione, interrumpitur, ita ut eam de novo inchoare necesse sit. l. 3. 7. pr. §. 5. C. de præscript. 30. ann. Gail. & Wurmser. dd. loc. Obrecht. disput. de præscript. th. 322. & seqq. Wesenbec. a. ff. h. t. n. 15. in fin.

CXXII.

Jure Canon. mala fides quovis tempore superveniens usucapionem

23


pionem interrumpit. *sup. th. 65* Hic Q. An denunciatio extrajudicialis possessorem semper constituat in malâ fide ad hunc effectum ut usucapio interpellatur? *Neg. vid. Gilken. d. part. 2. memb. 2. c. 2. ff. 31. & mult. seqq.*

CXXIII.


Denique ad contraria usucapionis referri possunt, quæ non penitus eam interrumpunt & tollunt ; sed impediunt tantum & sistunt aliquandiu , donec remoto impedimento iterum continuetur: veluti ætas pupillaris, *sup. th. 49. l. 3. 7. C. de præscript. 30. ann. Wesenbec. w. d. t. n. 15. in princ. Obrecht. d. disput. thes. 575.* Ut & quæ Usucapionem vel præscriptionem perfectam & impletam rescindunt; ut restitutio in integrum. *sup. th. 52. & c.*

Et de his hætenus pro instituto satis.

DEO sit Laus, Honor & Gloria.







RASSBURG, Diss., 1627-23

ULB Halle 3
004 527 275




56

1077







B.I.G.

Farbkarte #13

Black 3/Color White Magenta Red Yellow Green Cyan Blue

JURIDICA,

47019.
~~XXXXI~~

APIO-

LONGI

PRÆSCRI-

BUS,

1629, 8.

RISTO,

nsultissimo

lath/ J. U. D. FLO-

ORATENSIVM UNI-
ORDINARIO, ET P. T.

gnissimo: Præceptore &
es vitæ co-

et in Auditorio

rum:

Martii,

BUS KAMM
ensis.

ORATI.

CRISTIANI GLASERI
pographi.

M. DC. XXIX.

23